OBITUM

Obit Illustrissimi Ducis

ALBEMARLIÆ.

Nobilissimo Paterni Splendoris Hæredi Filio, & Posteris,

Metra dedit (sed tarda dedit properata senectus)
Musa senis. Longum *Monachi* testentur Honorem.

Authore *Mich. Roberts* S. T. P. Oxon.

LONDINI,
Impensis *Ed. Mun*, ad signum Cygni prope Ædem Eboracensem. 1670.

128 (9)

IN
OBITUM
Illustrissimi Ducis
ALBEMARLIÆ,

Nobilissimo Paterni splendoris Hæredi Filio,
& Posteris,

Mœsta dedit (sed tarda dedit properata senectus)
Musa senis. Longum Monachi testentur Honorem.

Authore Mich. Roberts S. T. P. Oxon.

LONDINI,
Impensis Ad. Stev. ad signum Cygni prope Ædem
Eboracensem. 1670.

In Obitum

Illustrissimi Ducis ALBEMARLIÆ.

1.

SUstinuisse humeris Cœlos Atlanta canebant,
Nostri Atlantis opem sustulit una dies.

Nigras ferte faces, & tempora mœsta Cupressus
(Mœstula funeribus tempora) nigra tegat.

Anglia cincta mari, attonitus mirabitur Orbis,
Quid nova vult lachrymis insula facta novis.

Exequias sciat esse meas, ait Insula lugens,
Quæ tria regna docent, flere, dolere, mori.

Anglia priſca fuit Monachorum plena. Sed unum
Nupera per *Monachum* publica parta ſalus.

Sic ſumus incolumes. Monachi gaudete ſepulti,
Utilis Angligenis quòd Monachiſmus erat.

Æquior in Patres poſthac erit Anglia tonſos:
Non oblita ſuum ſe genuiſſe patrem.

Jure erit ille pater patriæ, quī turbine belli
Afflictæ miram præſtitit unus opem.

Tempus erat longæ tranquílla per ocia pacis,
Cum flueret retrò publica lapſa quies.

Prima facem intulerat Templis Diſcordia: & inde
Miſſa per innumeras currere flamma domos.

Haud mora. Fervet opus. Præceps lis creſcit. Eodem
Sub tecto rixas angulus omnis habet.

Æſtuat infelix ſævítque ignobile vulgus.
Nec ſibi quid vellet noſcere cura fuit.

Arma

Arma vocant, pugnant, vincunt, vincuntur utrinque;
Utraque pars victrix, utraque victa fuit.

Diviſam lacerant gentem bella, impia bella.
Perjuras torquent dum mala mille domos.

Imperium invadunt fures, pietatis amore
Prædantur, rapiunt; Evacuántque lares.

Obtruncant Regem, quo non præſtantior alter
Rex fuit interris. Iſta licere docent.

Templa, Sacerdotes, Proceres, Rura, Oppida, Cives,
Vexant mille modis. In ſcelus omne ruunt.

Conſpicit

Conſpicit hæc *Monachus*, premit altum corde dolorem:
Campum ubi digna feris retia tendat habet.

Rem pugnâ an lento ſtratagemate tranſigat, ingens
Nodus erat; nec quem conſulat, ullus erat.

Undique Caſtra videt repleta rebellibus armis,
Nec contrá obniti ſufficit una manus.

Quid faciat? Pugnet? Qui circumfunditur armis
Adverſis? Par tot millibus unus erit?

Fluctuat

Fluctuat hùc illùc. Partes se versat in ambas,
Ut videat quo sint quæque movenda loco.

Arcanum imperii celat, tenditque fovétque,
Carole, clamat ubi es? Te sine nulla salus.

Sæpe ille hæc secum meditatur, & ardua regni
Ponderat. Ambiguis alea grandis inest.

Nuncanimis opus, inquit, opus nunc pectore firmo
Aut * vita aut mea mors plena favoris erit.

* Cæsar, ego mihi gratior, vel vivo vel mortuo.

Ca

Carolus hinc aberat. Noster te, *Carole*, *Mimebus*.
Carole clamabat. Sum tibi fidus, ait.

Ut regnis potiare tuis, mala mille subibo,
Cuncta movebo. Juvat sic voluisse mori.

In manibus Dux arma tenet; tamen abstinet armis:
* Parceret ut Patriæ, tutius egit iter.

* *Miles parce Civibus.*

Nec prius absistit, quàm tot per castra rebelles
Fregerat, hostiles dispulerátque manus.

Mira cano, ſed vera. Nihil ab origine Mundi
Conſimile extiterat. Tardior inde fides.

Quos non mille equitum turmæ domuere, rebelles,
Quos penes inſulæ erant, quos penes æquor erat,

Dixi, vidi, vici. Diſſipat hos vultu *Monachus*, * Veniendo, videndo,
Vincit. Nec tinxit gutta cruoris humum. *

Dux ſine bombardæ ſtrepitu, ſtrictóque ſine enſe,
Nube ſub injectâ grande peregit opus.

Mirificum stratagema! (opifex ingentior armis)
Ardua tàm facili composuisse manu.

Non opus humanum fuit hoc. Divinior Anglis
Aura salutiferum te probat esse Ducem.

Pugnando vincant alii. Victoria constet
Sanguine. Se gratis obtulit illa tibi.

Non ita Cæsareo gestà olim prælia ductu.
Orbis Alexandri bella Cruore madent.

Ambobus major *Monachus*. Sine sanguine victor,
Victricem ostendens, & sine cæde manum.

Hoc gesta Heroum superat. Sua Græcia pandat,
Roma licèt sua det, par dare neutra potest.

Turgida Cæruleis cedat jam Roma Britannis.
Anglo Italus, Thamesi Tibris, arena Duci.

Quid majus sub sole fuit, quàm regna beâsse?
Sic solio Regem reddere posse suo?

Tot simul accensas potuisse extinguere flammas,
Miræ erat artis opus. Gratum erat illud opus.

Scotia te celebrat, veneratur Hibernia: Regum
Effusa in laudes omnia regna tuas.

O quàm te memorem? Æternúm memorande Georgi.
Salva patrocinio sunt tria Regna tuo.

Quæ tua si reticent servata Georgica, nescit
Belgia victorem victa tacere suum.

Regi grata pio pietas tua, rebus agendis
Apta manus, Probitas nota, probata fides.

Nos

Nos tamen interea linquis. Nec plurima virtus
Mortis ab imperio te tua Monche tegit.

Sed non ſolus abis. Conjux comitatur euntem.
Regina anteibat; Penbrochiæ que Comes.

Regia quæ Matres Mater ſupereminet omnes;
Regis, * Nata, Nurus, Sponſa, Soror, Genitrix

* Henrici VI. Jacobi Regis. Caroli I. Ludovici XIII. Caroli II.

Anto tulit greſſum. Sequitur Comes. Agmine juncto
Illa Ducis facta eſt dux, comes Ille viæ.

Turba

Turba frequens ſequitur. Longo ordine tendimus omnes.
Dum loquimur, ſequimur. Qui legit, iſta venit.

Fama æterna Ducis manet: æternúmque manebit,
Donec erunt homines, dum tria regna manent.

O ingens decus & columen Patriæque Thronique!
Rem, Regem, Regimen reſtituiſſe potens.

Rex, tria ſceptra, Salus, Pax, Ordo, Eccleſia, Leges,
Splendida militiæ ſunto Trophæa tuæ.

FINIS.

Sedeo præterea *Monachos* Europa tulisset,
Non gemeret bellis mox ruitura suis.

Se, vitam, Regem, Pacem, sua gaudia debet
Bellice consilii Anglia *Monche* tuis.

Millia claustra tenent Monachi. Sed nulla dederunt
Claustra tibi similem. Secula nulla dabunt.

Te sileat præsens, at postera nesciet ætas
Conservatoris non memor esse sui.

FINIS.

Suitamer